

propitius inclinet, semper et enixe petamus suffragia, primum quidem Deiparae Virginis Mariae Immaculatae, quo nullum apud Deum potentius patrocinium; deinde Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli quorum Natalitia acturi sumus, nec non omnium Caelitum Sanctorum qui cum Christo regnantes in Caelis munera divinae largitatis hominibus sua deprecatione conciliant.

Denique Vobis, Venerabiles Fratres, ac aliis omnibus Venerabilibus Fratribus catholicarum gentium Episcopis, item fidelibus omnibus Vestrae atque illorum curae concreditae, quorum pietatis et amoris eximia semper testimonia accepimus et continenter in dies experimur, singulis universis Apostolicam Nostram Benedictionem cum omni felicitatis voto coniunctam, ex intimo corde amantissime impertimus.

2. Das bei der Säcularfeier des 29. Juni 1867 ausgesprochene Canonisationsdecret lautet:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis et exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et Divina ope saepius implo-rata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatos *Josaphat Kunceovich*, Pontificem; *Petrum de Arbues*; *Nicolaum Pichi*, cum Sociis, videlicet; *Hieronimum*, *Theodoricum*, *Nicasium Joannem*, *Willehadum*, *Godefridum Mervellamum*, *Antonium Werhadum*, *Antonium Hornaniensem*, *Franciscum*, *Joannem*, *Adrianum*, *Jacobum*, *Joannem Osterwicanum*, *Leonardum*, *Nicolaum*, *Godefridum Duneum et Andream*, Sacerdotes, *Petrum et Cornelium*, Laicos, omnes Martyres; *Paulum a Cruce et Leonardum a Portu Mauritio*, Confessores; *Franciscam et Germanam*, Virgines, Sanctos esse decernimus ac Sanctorum Catalogo ad-scribimus, statuantes ab Ecclesia Universali eorum memoriam quolibet anno, nempe *Josaphat*, die duodecima novembris; *Petri*, die decima-septima septembris; *Nicolai et Sociorum ejus*, die nona iulii, inter *Sanctos Martyres*: *Pauli*, die vigesima octava aprilis; *Leonardi*, die vigesima sexta novembris, inter *Sanctos Confessores non Pontifices*; *Mariae Franciscae*, die sexta octobris; *Germanae*, die decima quinta iunii, inter *Sanctas Virgines*, pia devotione recolere debere. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.